

3

GRATULATIO
Qua
MAGNIFICOS
ACADEMIÆ DUISBURGENSIS
FASCES
à V I R O
CELEBERRIMO ET CONSULTISSIMO
D. HENRICO
THEODORO A. A. F.
PAGENSTECHERO
JURISCONSULTO,
ET ANTECESSORE
H. T. FAC. JURID. DECANO

Rite susceptos

Anno c l o l o c c x x x v .

ipsis Idibus Octobris

Prosequitur,

Annexis quibusdam Veterum Scriptorum
EMENDATIONIBUS,

JOH. HILDEBRANDUS WITHOFIUS

Histor. Eloquent. & Gr. Ling. Professor

h. r. Philos. Fac. Decanus.

DUISBURGI ad RHENUM,
Typis JOHANNIS SAS, Academiæ Typographi.

(1735)

GRATULATIO

MAGNIFICOS

ACADEMIE TURISBURGENSIS

ARTES

2
ke

ANNO

MDCCCLXXXV

D. HENRICO

THEODORO A. A. F.

PAGINSTECHER

TURISBURGENSIS

ET ALTISSIMO

M. T. PAC. JURID. BACCANO

ANNO

MDCCCLXXXV

OBITU

PROF. P. J. W. W.

ACADEMIE TURISBURGENSIS

ARTES

JOH. HILDEBRANDUS WITTHORUS

ACADEMIE TURISBURGENSIS

ARTES

MDCCCLXXXV

THEODORO A. A. F.



O D A.

EN Tuæ nostri regimen Lycei
Cedit, & Sceptri pia cura dextræ,
Gentis o doctæ, celebrisque dudum

Nobile fidus:

Cum tuis certans tot avita Patrum
Rite Germanis, THEODORE, gesta,
Tot tropæorum titulos veterno

Perdere nullo.

Culte Vir nobis simul & colende,
Seu pares vitæ reminiscar artes,
Seu diu junctas sine litis ullo

Frigore mentes.

Sceptra jam fatis agedum secundis,
Quæ Tuæ dotes meruere, sumens,
Et Camœnarum renovata præstans

Otia castris,

Nomen, & laudes cumulans priores,
Qua cadit Phœbus, juga quæ reversus
Aureo curru Nabathæa pingit,

Porrige lucem.

Floreat tanto Duce gratulantum
Turba Musarum, Charitumque Triga,
Quem vel audito celebrare possint

Nomine solo.

A 2

Pro-

Prosperes at tu pia cæpta, quæso,
 Et novos anno parias honores,
 Dente quos nullo, Deus alme, carpat
 Sera Verustas.

Summe terrarum Moderator, adsis,
 Meta dum primi prope rafa secli
 Curribus nostris, obeunda festo
 Non sine cantu.

Jam novâ lauru pia Literarum
 Cinge maternum caput Officina;
 Tuque, Dusburgum, melioris omen
 Accipe fortis.

Orbis annorum trepidare centum
 Magnus ad finem tacitè laborat,
 Pacis & belli gravis, aleæque
 Conscius omnis.

Seculo faustam, DEUS, adde metam,
 Fac & annorum novus inchoetur
 Ordo; fac felix oriatur ætas
 Sidere læto.

Ista dum fiant, novus Hoc regente
 Jura procedat, meliorque semper
 Annus in serum subiturus ævum
 Gaudia donet.

Eruditorum Sapientiumque
 Nemo, si quisquam sapiens superfit
 Orbe vel dici queat eruditus,
 Te sine solo

Nomen & tantos poterit tueri
 Elaboratos sibi difficulter
 Invalescentis titulos honoris,
 Et decus altum.

Bardus

Bardus ex docto, sapiente stultus
 Redditur lucem sine te perennem
 Dante, tu cujus pia causa solus,
 Solus origo es.

Ne, precor supplex, retrahas serenam
 Teutoburgensi faciem Lyceo:
 Ne tui sudum minuatur unquam
 Mite favoris!

Ne sacram nobis patiare lucem,
 Fulgidæ sparsam face Veritatis,
 Surripi; nubes nitido sed omnes
 Sole repellas.

Omnis hinc cesset maleficus Error,
 Et, genis cujus macies adefis
 Prodit internas per adusta flammæ
 Pectora, Livor.

Susplicax pravi nimium Simultas
 Hinc procul nostris eat exul oris;
 Litium nutrix eat eminendi
 Dira Libido.

Omnis hinc Fastus, Tumor omnis absit
 Inquinans mentes stolidè viriles,
 Et Cavillorum, leviumque Fraudum
 Sordida turba.

Discolor menti facies, & atrum
 Melle sub dulci latitans Venenum
 Cesset, & diro fale Lucianus,
 Porphyriusque. *

A 3

Castra

* Meminisse potes, Vir Magnifice, alludere nos voluisse ad
 locum JULII FIRMICI MATERNI de *Erroribus Pro-*
fanar. Relig. de quo nuper pro amicitia nostra sermones cæ-

Castra nec vecors Odium canino
 Nostra latratu strepituque turbet;
 Quisque sed Phoebō duce mitigatus,
 Auspice Phoebō,
 Strenuè sacrâ pugil hac palæstrâ
 Militet fortis cupidusque palmæ;
 Et docens votis & utrinque discens
 Agmen iisdem
 Barbaros mores, & opinionum
 Noxias menti remove nubes
 Certet, insulas & ineptiarum.
 Tollere larvas.

Exulet

debamus, cujus emendationem Tibi cum aliis quibusdam à me tunc propositam vehementer arridere aperte & sine livore, qui in elegantem indolem non cadit, declarabas; eam verò cum Tibi cum quibusdam reliquis tunc simul enarratis dedicaverim, huc ex *Crucibus* meis *Criticorum*, arduo sane Opere, cui describendo nunc, ut scis, ipsa necessitate nimirum ita flagitante, insudo, decerpam, idcirco maxime, quia eodem illo tempore, quo notata ista in ordinem suum redegeram, præsentia Tuæ honore fruebar. Est vero locus ille apud *Firmicum Matern.* ex Editione Jac. Gronovii, qui eum Minucio suo Felici adjecit, p. 432. & sic habet: *Nil enim operantur animæ, & cruor ex assiduâ pecudum cæde profusus, nisi ut demonum substantia, qui Diaboli procreatione generantur, ex isto sanguine nutriatur. Nam ita esse Porphyrius defensor Stoicorum, hostis Dei, & veritatis, in multis sceleratarum impietatum scriptis manifestis nobis probationibus prodit. In libris enim, quos appellat περί τῆς εὐλογίῳ φιλοσοφίας, majestatem ejus prædicans, de infirmitate confessus est. In primis enim librorum partibus, id est, in ipsis auspiciis positus dixit: Serapis vocatus, & intra corpus hominis collocatus talia respondit.*

Exulet focors juvenum Vaternus
 Et senum, ventri Venerique soli
 Semper indulgens, simul & Vacunæ
 Pulcra perosæ.

Barbaro linquant Heliconæ Musæ
 Subditum pridem populo latronum,
 Et diu vastam Claron, & repressis
 Phocida lymphis;

Proque Parnaso juga, proque Pindo,
 Nostra jam Turbæ placeant novenæ:
 Hac latex Dirces, novus hac susurret
 Castalis orâ,

Qua

Apposui locum totum. Agit ibi Firmicus de Ægyptiis Sacris, & de idololatræ cultu Alexandriâ in alias orbis partes disperso, ut ipsa verba indicant. Sed cur hic Porphyrius dicitur *defensor Stoicorum*? neque enim constat, eorum causam tam graviter egisse Porphyrium. Deinde, quid hoc ad locum præsentem, ubi de Ægyptiis & Alexandrinis sacris, nullus autem de Stoicis sermo, qui cultum imaginum & idolorum, de quo hic agitur, ne magnifacerent, vel ipsius Philosophiæ suæ principiis impediabantur, & potius se ipsos idola quædam facere annitebantur. Vidit hoc merito objici posse J. Frid. Gronovius; qui idcirco Observation. Eccles. c. IX. circa finem hic in Firmico corrigi *Porphyrius defensor idolorum*. Hæc quidem mutatio est nimia, & satis præter causam audax, à Viro alios à temeritate sollicitè deterrere solito profecta. Quid tum? inquis; scis meliora? Scio, inquam, & dico, ac doceo scripsisse Firmicum minima mutatione, quod maxime ad præsentem de Sacris Ægyptiis causam facit: *Nam ita esse Porphyrius defensor Isiacorum, hostis Dei, & veritatis, in multis sceleratarum impietatum scriptis manifestis nobis probationibus prodit. In libris enim quos appellat περι τῆς ἐκ λογίων*

Qua suas Rheno placide maritat
Rhura victori subeuntis undas
Amnis, & plausum geniale fingit
Murmur aquarum.

Fama *Claubergi* recidiva nostras
Semper illustret radiis Athenas,
Qui semel fulsit, tua lux decusque,
Solque, Solinga.

Semper accedat nova fax priori.
Grande, *Mastrichti*, jubar, *Hundique*,
Grande, *Feltmanni* veteres novique,
Spargite castris.

Sint

φιλοσοφίας majestatem ejus prædicans de infirmitate confessus est &c. Hæc sola veraque fuit Firmici scriptura; in qua vides, quam mutatione facili aberraverint librarii Veteres, qui τὸ *Stoicorum* nobis obtruserant. Certe si Pythagoricorum, aut Pythagoræ defensorem vocassent Porphyrium librarii, tolerari potuissent aliquatenus, cum ejus vitam scripserit. Sed idem quin de *Ægyptiis* Sacris scripserit, ac potissimum *Isidis* ac *Isiacorum* causam egerit, vel ob hunc ipsum locum dubitari nequit, ac præterea ex iis scriptis colligi potest, quæ Joh. Albert. Fabricius Vir Cl. Lib. IV. Part. Altera Bibl. Gr. p. 185. & 190. recenset; ubi docet, Viros doctos, Lucam puta Holsteinium, & Joh. Jonsum, in eodem hoc Firmici Materni loco emendasse *περὶ τῆς ἐν λογίων φιλοσοφίας*, ubi male, *ἐν λογίων* legitur; quod certissimum pariter; ea enim materia *περὶ λογίων* illis temporibus unice ventilari solebat. Jam vero *Isiaci*, ut restitui, dicebantur Sacerdotes *Isidis* sine adjecto substantivo absolute, & Sacra similiter ista simpliciter *Isiaca*; idque tam Græcis, quam Latinis Scriptoribus usitatissimum. Plutarchus in Libro de *Isid. & Osir.* Tom. II. p. 352. Edit. Franc. "Ουτε γὰρ φιλοσόφες παγωνοτροφίαι, ἢ κλέα, καὶ τριβωνοφορίαι ποιῶσιν,

Sint TUO semper similes *Parenti*:
Sint, quibus cordi Themis, & Latina
Tullius Siren, tuba Tullioque
Juncta Maronis.

Gravii nunquam, rogo, *Tollique*
Hic, & *Hennini*, similesque desint,
Quos vehit dudum niveis per auras
Gloria bigis.

Castus imprimis Superos colendi
Ritus, absterfis & adulta rugis
Veritas rursus niteat situque,
Diva Virago.

B

Pestilens

ἔτε Ἰσριακὸς αἰ λινοσολίαι καὶ ἔθρησις. Ἀλλὰ Ἰσριακὸς ἐστὶν
ὡς ἀληθῶς, ὁ τὰ δεικνύμενα καὶ δρώμενα περὶ τὰς θεὰς τέ-
τες, ὅταν νόμῳ παραλάβῃ λόγῳ ζῆτῶν, καὶ φιλοσοφῶν περὶ
τῆς ἐν αὐτοῖς ἀληθείας. Et sic passim, ut nulla sit dubi-
tandi, aut tricandi ratio. Nunc quoniam istum locum
emendavimus, adjiciemus & cætera, de quibus tunc, Vir
amicissime, nobis sermo intercessit, idque, nisi fallor, pace
Tua. FIRMICUS MATERNUS ibid. p. 409. sic lo-
quitur:

*Et cum mulieris animus ex impatientia nimii amoris arde-
ret, mortuo adolescenti templa fecerunt. Tunc quod irata mu-
lier pro injuria spretæ fecerat formæ, hoc ordinantes à se pati
voluere sacerdotes. Sic annuis sacris cum honore terræ istius
funeris pompa componitur, & cum persuadetur hominibus, quod
colant terram, miseri funeris venerantur exitium.*

Sermo est de cultu Deæ Phrygiæ, seu Cybeles, ejus-
que sensu allegorico, quem jactabant profani, irridente san-
ctissimo Patre; præsertim de castratione Attyos juvenis
frustra à Cybele adamati, quod facinus Sacerdotes imiten-
tur. Jac. Gronovius ad ista verba *hoc ordinantes à se pati
voluere* notat, meliorem fore latinitatem, si præpositio ab-

Pestilens rixæ neque turbet ardor
Dulce cœlestis meletema Pacis.

Jurgiis, quæso, quid aculeatis
Cum grege Christi ?

Amne Cocyti, Stygis amne diro
Non tument fontes Siloæ; nec intrat
Iple Jordanem Phlegethon, sacræque
Stagna Bethesdæ.

Jura conservet Themis, aureumque
Tempus Astrææ meliore venâ
Proditum terris fluat, exuletque
Barbara proles.

Juncta

esset. Ego vero affirmo, si illa absit, maximam vim & pondus orationis abfore, quæ non minus ita quoad mentem Scriptoris castratur, ac Sacerdotes illi à se castrabantur. Hoc enim vult: quod Cybele puero fecit, idem Sacerdotes à se, imo à se ipsis patiuntur, qui furor est tanto major. Nunc vero cuperem scire, quid sibi illud velit *hoc ordinantes?* Ut de locutione duriore taceam, tota res ita describi solet, ut furore lymphati, & quasi nescientes, ac extra se rapti tale facinus perpetrasse dicantur, non peculiare aliquod de demetendis sibi genitalibus decretum adhuc sobrii sanique instituerint. Sane palmaria est, & quantivis pretii emendatio. Dicimus enim scripsisse Firmicum:

Tum quod irata mulier pro injuria sprete fecerat formæ, hoc Corybantes à se pati voluere Sacerdotes. Sic annis sacris cum honore terræ istius funeris pompa componitur.

Vides quam exigua, ac pene nulla mutatione facta (nam litera *c* ex præcedentis vocolæ fine tantum repetenda est, & literam græcam per simplicem *i* scribebant librarii) sua integritas toti fuerit loco restituta. Cæterum notum est, hos Cybeles Sacerdotes sæpe promiscue Gallos, Corybantes, Curetas, Telchines, Idæos Dactylos, Cabiros &c.

Juncta Doctrinæ Pietas per omnes
Mitis incedat sine lite vicos,
Per domos cunctas, fora per tumultu
Turbida nullo.

Non minus mores docilis juvenus,
Quam bonas Cyrrhæ veneretur artes.
Elegans cultu nisi sis utroque,
Gloria stulta est.

Stulta laus omnis, nisi Christus atras
Mente purgatâ nebulas repellat.
Solus hic Sol est; face Solis hujus
Soliis ite.

C 2

Ite

nominari. Vide Lambin. ad Horat. l. I. od. 16. Vossium patrem Idolol. l. II. c. 53. alibique. Obiter non invenuste Firmicus verbis istis *pro injuria spretæ fecerat formæ* imitatur verba Virgiliti *Æn. l. I. v. 30. Manet alta mente repostum Judicium Paridis, spretæque injuria formæ*; uti p. 418. Cum semiviro comitatu ex eodem habet Auctore, ne cætera tangam. Subjungam his duo reliqua loca, de quibus tum, Vir Clariss. agebamus. Primus est purissimi scriptoris **QUINTI CURTII** à Viris Doctissimis mirum in modum, sed frustra vexatus, duplici indigens emendatione. L. VIII. c. 4. de Alexandro agit Magno, cum Roxanen, Oxyatris Satrapæ filiam, in matrimonium vellet ducere sibi imparem. En verba:

Tunc in amorem virguncula, si regie stirpi compararetur, ignobilis, ita effusus est, ut diceret, ad stabiliendum regnum pertinere, Persas ac Macedonas connubio jungi; hoc uno modo & pudorem victis, & superbiam victoribus detrahi posse. Achillem quoque, à quo genus ipse deduceret, cum captiva coisse. Ne inferri nefas arbitrarentur, ita matrimonii jure velle jungi. Insuperato gaudio lætus pater sermonem ejus excepit &c.

Hic locus quàm turpiter, & bis quidem corruptus est,

Ite felices; dabit ille veras,
 Quas mali frustra sine fine captant,
 Unico castis oculis in ictu

Cernere gazas.

Codicum quare numerosa tanto
 Quæritur nobis studio supellex?
 Quid libri profunt, & Apollinaris

Pondera census?

Terra cum Cælo liber unus amplo
 Mille lectori documenta præstat;
 Cui notas scripsit manifesta summi

Numinis aura.

Ite

nec ab ullo sanatus, tam fideliter à nobis dextreque emendabitur. Val. Acidalius frustra offenditur voce *ita*; eam vel ejiciens vel *in* supponens, tum paulo ante *ne in se fore nefas arbitrarentur* legendum existimat. Sed obnititur Raderus, & vulgatam lectionem defendit, uti etiam Schefferus fecit, nisi quod *it* aliter mutet sine causa. Nic. denique Heinius corrigebat *ne sui in se forsitan nefas* &c. satis temerè & licenter. Tò *inferri* utique mendosum. Barbarum est illatumque *inferre nefas sibi* vel *alicui* eo sensu. *Labem, maculam* &c. *inferre* usitatum, non *nefas*. In tali re simpliciter dicimus *nefas arbitrari, putare* &c.; ut in re prorsus simili Horat. l. IV. od. XI. *Semper ut te digna sequare, & ultra quam licet, sperare, nefas putando, Disparem vites.* Et sic centies, non aliter legemus. Nos loco medebimur verè, ubi prius monuerimus, sequentia nulli suspecta *gaudio letus* ineptam esse *ταυτολογίαν*, quibus unica litera succurret, & solitum Curtio restituet colorem. Emendandum esse dico, & Curtium scripsisse:

Achillem quoque, à quo genus ipse deduceret cum captivâ coisse. Ne inferiori nefas arbitrarentur ita matrimonii jure velle jungi. In sperato gaudio elatus pater sermonem ejus excepit.

Ite nunc omnes, & adite magnum
Supplices Numen juvenes senesque,
Fata quò detur meliora semper

Jungere fatis.

Nullus externis locus esse bellis,
Nullus internis videatur; ædem
Stare Musarum velit hanc perennem

Rector Olympi!

Flos juventutis melioris inde
Surgat, & Grajo sale tincta proles,
Ex equo sicut Phrygio caterva

Pubis Achivæ.

C 3

Tuque

Hæc vera Curtii scriptura, hic consuetus illi constructionis lepos; ne nefas arbitrarentur ita jungi velle inferiori matrimonii jure. Vox abbreviata fuerat sine dubio, ut solebat in MSC. antiquis, unde ex *inferiori* corruptum *inferri* ineptissime; cui frustra medicinam adhibebant temerarii conjectores. Sic Ovid. Art. Am. l. 1. & 770. *Vilis in amplexus inferioris eat.* Senec. Provid. c. 3. *Ignominiam judicat gladiator cum inferiore componi*; ubi omnia paria in re dispari. *Elatus gaudio* autem præterit Curtio in deliciis. Sic l. IV. c. 6. *Insolenti gaudio juvenis elatus, alias virtutis etiam in hoste mirator.* Et l. VI. c. 7. *Ibi Cebalinus gaudio elatus, habeo, te, inquit, incolumem.* Et sic crebro alii quoque. Flavius Vopiscus in Floriano c. 6. *Tantum illud dico, senatores omnes ea esse letitia elatos &c.* Sic ipse FIRMICUS supra laudatus p. 452. scribit: *Tunc elato gaudio clamat elata mortalitas: Ubi est mors aculeus tuus?*

Ubi quis non consentiet, alibi ut ostendi, scripsisse Auctorem: *Tunc cælesti gaudio clamat elata mortalitas &c.*

Ubi denuo exemplum occurrit, literam prioris vocis *c* finalem repeti neglectam, & sic ex residuo *elesti* fuisse *elato* factum; uti supra monui de voce *Corybantes*. Postremo lo-

Tuque præfertim, generosa Titan
 Cui luto finxit meliore corda,
 Sacra Phœbeô tibi missa ritu
 Sceptra capeffe.

Lenis adspiret, precor, aura; toto
 Candidi soles oriantur anno,
 Et trahant longam simili bonorum
 Lege catenam.

Sospes & felix Tua fervet æquo
 Tramitem cursu rota; neu laboret,
 Si quid obliquis, quod abominamur,
 Flexibus obster.

Perge

quebamur, ut recordaris, Vir Magnifice, de loco illo HORATII πολυθρυλίτω, & in omnium ore, vitiose tamen, ut paucis nunc ostendam, versante; lib. I. Sat. I. circa finem:

*Jam satis est: ne me Crispini serinia lippi
 Compilasse putes, verbum non amplius addam.*

Enimvero quæ hæc impudentia ac improba dicacitas foret, objicere Crispino lippitudinem, cum Horatius ipse hoc malo laboraverit? quod nec ipse diffitetur; Sed ter quaterve de se quasi jocabundus repetit. Vide illum lib. I. Sat. 5. v. 30. 31. & 49. item lib. I. Ep. I. v. 29. Deinde, quæ fati scævitas, si ipse etiam Crispinus, quem hic ob loquacitatem vult tangere, lippus fuisset? Postremo nihil ad rem facit; nam ejus garrulitatem hic oblique carpere instituit, & scriptorum prolixas nugas. Hinc cæteri, ut Lambinus, Cruquius, Dan. Heinsius, alique crediderunt *Crispinum Lippum* nomine proprio fuisse dictum. At hoc Acron & Porphyrio, Scholiastæ veteres, non tacuissent, qui testantur aretalogum illum hominem fuisse ob garrulitatem nominatum. Cruquii vero antiquus Commentator prorsus ridicule τὸ *lippi* capit figurate seu tropice de animo; quasi Horatius Crispi-

Perge Virtutis rigidus satelles
 Debitos laudum titulos tueri,
 O decus Phœbi, facer o paterni
 Nominis Hæres.

Fortis & prudens, & amœnus Idem
 Lælium misce facilem Catoni;
 Pax, Quies, Fervor, Gravitas in unâ
 Sede morentur.

Faustitas læto super arva curru,
 Et Fides, & Fas, & Honos, & omnis
 Spiccam latè volitet coronam
 Copia gestans.

Ite

num vocasset lippum pro inepto & stolido. Quis talia vel
 fando audivit unquam, aut sibi persuadere potuit? at potuit
 tamen ante paucos annos Alexander Cuningamius huic com-
 mento ineptissimo album adjiciens calculum; & tanto liben-
 tius, ut populari suo, certe Britanno, Rich. Bentlejo con-
 tradiceret, qui vulgatæ lectionis absurditatem, ejusque ex-
 positiones ridiculas, qualescunque demum illæ sint, videns
 agnoscensque, felicitate tamen non eadem, qua ulcus de-
 tlexerat, idem tollere potuit; audacius enim justo correxit
 ediditque: *ne me Crispini scrinia lippum Compilasse putes.*
 Certe de se ipso illud Horatius hic confessus est, ut alibi;
 nulla tamen ita aberrandi causa librariis videtur oriri potuis-
 se, ut *τὸ lippum* corrumperent in alterum illud, quod vul-
 go circumfertur, *lippi*. At vide nunc verissimam Venusini
 illius scripturam tot sæculis jam incognitam. Emendandum
 est, ut ipse olim dedit:

Jam satis est: ne me Crispini scrinia lippis


Compilasse putes, verbum non amplius addam.


Lippis, nimirum oculis meis, elegantissima & usitata ellipsi
 fuit dictum, quod omnes fefellit; qua locutione simul taci-
 te innuit, quam parum credibile sit, aut fieri queat, ut ipse


Ite mordaces, procul ite, Curæ!
 Vosque Rectori date sempiternos,
 Sceptra cum sumit nova, cum reponet,
 Fata, triumphos!


oculis lippis aliorum compilet scrinia. Cæterum tales ellipses sunt vulgares; sic ibidem mox Sat. 2. *ψ. 101. Cois* dicit subintellecta voce, vestibus; & *ψ. 63. togata* scil. muliere. Nota illa *πῶσις obliquis aliquem spectare*. Etiam apud Plautum in *Perfa A. I. Sc. 1. ψ. 11.* habes parem locutionem; *compilare* vero *oculis* dixit Horatius, ut alibi de iisdem *limare, metiri, percurrere*, imo *prævidere oculis inunētis*, quod prorsus idem; & Florus l. II. c. 6. *oculis delibare*. Sed ego quoque hæc satis esse puto; & ne me quisquam Crispini illius aretalogi scrinia compilasse putet, verbum non amplius addam; nisi ut tibi, Vir Magnifice, pro meo in Te amore ac cultu, hunc annum faustum ac felicem, quin etiam Nobis omnibus, atque adeo toti Academiæ, cum infinitis aliis eodem cursu ac tenore elapsuris, auspiciatissimum precer, & ut ea omnia, quæ paulo ante inter plurimos labores ac negotia cecini, impleantur, ex animo voveam. Vale ac salve plurimum!














U

